

DE
 MATHEMATICA
 PROFESSIONE A P.
 RAMO INSTITUTA

ET AB AMPLISSIMO

Senatu confirmata,

M. Bressij

Oratio.



PARISIIS,

Apud Ægidium Gorbinum, sub insigne
 Spei, è regione collegij Cameracensis.

1576.

DE
MATHEMATICA

PROFESSIONE A. P.

RAMO INSECTIVA

INSTITUTIONE A. P.

SCIENTIAE QUANTITATIVAE

M. P. A.

Q. A.



PARIS

Apud Regium Germanum, sub infigne
Societatis collegii Cameracensis.

1776

AMPLISSIMO


ET ILLUSTRISSIMO SENATUS
PRINCIPI, VIRTUTEQUE CLARISSIMO
D. Thuano Mauricius Bressius cliens
ipsius obsequētissimus & officiosissimus
s.p.d. perpetuamq; optat amplitudinem.



ATHENIENSIVM legibus,
Vir illustrissime, peregrini qui urbem
incolere constituisent, in eaq;
fortunarum sedem suarum & domicilium
posuissent, patronum sibi aliquem
adoptare, quē *degrā*
tū ipsi appellare consueverāt, cgebantur: ut peregrino
Athenis versari non licuerit, nisi esset ciuis
qui eius probitatem præstaret & integritatem. Ego
verò, si aliquem in Parisiensi Academia locum obtinere
studeam, (quanquam in ea non inquilinus, sed vetus colonus,
non peregrinus, sed eius pridem alumnus sum) si ad aliquem,
inquam, in ea locum assequendum sine fautore & patrono
aspirem, num insipiens & amens videar? num iure ac
meritissimò eiiciar & explodar? Quod si mortalium ullus est,
cuius authoritate tectus, virtute defensus, benignitate
adiutus, & humanitate subleuatus, assequi quod contendo
queam: quis ille fuerit potius, quam ipse tu, quo neque
virtute rebûsque gestis illustrior, nec authoritate grauior,
nec benefioentia clarior, non modò Lutetiæ, sed ne tota
quidem Francia, facile quisquam reperiatur? Quamobrem sic in tuam me

4
fidē & clientelā confero, ut qui apprehensis utraq;
manu altaribus, ad Deorum confugiunt misericor-
diam. Tu ara mihi sanctissima, tu spes unica salutis,
tu certissimū & tutissimū perfugiū. Tu idem apud
me, in hac suscepta pro Frāncici nominis gloria contē-
tione, numen obtines, atque apud afflictos & despe-
ratos nautas, salutaria Castoris & Pollucis lumina
atque numina. Qui igitur non ullum aspernatus
unquam es supplicem, idem me tuum supplicem, ti-
bi que pro Franciæ & Academiæ laude atq; splen-
dore retinendo supplicentem, complectere. Tuque, cu-
ius bonis semper omnibus patuit, præsensque & pa-
ratum fuit auxilium, idem mihi præclara conanti,
& doctrinæ primas Francis nostris, quas adhuc ob-
tinuerunt, conservare contendenti, auxiliare.

Francus ego cum alienigena, popularis cum peregrino,
concerto. Ille, ut Franciæ nostræ, doctrinæ & eru-
ditionis laudem præripiat. ego: ut quantum in me
situm erit, retineam atq; tuear, & in minimo Fran-
corum atque postremo demonstrem, nullum esse lit-
terarum & disciplinæ genus, in quo ipsi à cæteris
gentibus, vinci sese & superari patiātur. Denique, si
causa hæc ex equitate pēditur & æstimatur, mini-
mè verum est, ut quem professione Mathematica
docendiq; munere, ante annos complures mouerunt
sui, quibus probari satis non potuit, cum Franci,
spretis popularibus suis, & doctrinæ palma ceden-
tes, cum summo suo dedecore, & inscitie confessione
excipiant, matheseosque principem agnoscant. Vale.



DE MATHEMATICA

PROFESSIONE A P. RAMO

instituta & ab amplissimo senatu con-
firmata, M. Bressij Oratio.

SI illustrium virorum & amplissimorum splendor & dignitas: Si antiquiss. & florentissimæ urbis claritas: Si principis Academiae celebritas: Si clari & insignis gymnasij nobilitas, ingentem dicere aggredienti metum trepidationemque afferunt, & vel eos qui animo esse confirmato videntur, grauitè commouent & conturbant, iis certè nos difficultatibus & incommodis omnibus, in præsentia vregemur & obsidemur. Dicimus siquidem, apud viros lectissimos, & omni laudum virtutum, disciplinarumque genere instructissimos & cumulatisissimos. Dicimus in omnium urbium, & indigenarum solertia, & conuenarum frequentia, & structuræ magnificentia, & ciuium opulentia, & artificum artificiorumque copia, & gallici regni domicilio, toto terrarum orbe clarissima, & celebratissima vrbe Luteria. Dicimus in

6
omnium Academiarū eruditiss. & nobiliss-
sima Parisiensi Academia. Dicimus in Re-
gio & eloquentissimorum virorum vesti-
giis trito, suauissimisque vocibus quotidie
personati gymnasio. Quæ dum reputamus,
grauiter percellimur, totisq; artibus cōtre-
miscimus & perhorrescimus. Et quandiu a-
nimo obuersata nostro sunt, tādū hōdier-
næ lucis dictiōē meditātibus, morā & du-
bitationem attulerunt, incēptōque nos &
consilio absterruerunt. Etenim ea demum
quæ & excellēti ingenio perfecta essent, &
summa industria exquisita, & præstati arti-
ficio elaborata, huic & personarū & vrbis,
& Academiæ, & gymnasij amplitudini, cō-
uenire sola videbantur. A qua nos perfe-
ctione tam lōgē abesse sentiebamus, vt eius
ne iacta quidem in nobis vlla esse funda-
menta suspicaremur. Quanquam putē gra-
uissima hæc cunctandi argumenta, & vere-
cundandi habebamus : non defuerunt ta-
men, quæ fructum ac propē desperantem a-
nimum erigerent, & ad æquitatē spēmque
meliorē reuocarent. Vel summorum vi-
rorum ad id nos cohortantium authoritas,
cui plurimum semper, imò omnia tribui-
mus. Vel humanitatis vestræ fiducia, quæ
magis præclara conantibus & honesta fa-
uet, quàm, siquid iis abest, offenditur. Vel
denique vitæ totius iampridē à nobis inita
& suscepta ratio, in qua si constare nobis

ipsi vellemus, faciendum fuit ut optatā du-
 dum, nunc oblatam, complectendæ Aca-
 demix occasionem, arriperemus. Quæ qui-
 dem plus apud nos iam antea inclinantes,
 hortando & impellendo, quàm superiora
 illa territando & reuocando, valuerunt. Ut
 igitur qui aliquo sponte sua festinant, ami-
 cis cohortantibus & currentes, quod aiunt,
 incitantibus, cōtentius feruntur & alacrius,
 quod ad ea quæ ultro faciebant, amicorum
 comprobantium stimulus & iudicium ac-
 cedat. Sic etiam, cum liberales & ingenuas
 artes, maximèque mathematicas discipli-
 nas, quas præcipuè semper suspeximus, co-
 lēdas esse nobis antea & tractandas statue-
 remus, vitæque genus hoc & institutū deli-
 geremus. Posteaquam & amplissimi Sena-
 tus authoritas, & præsens Academiae neces-
 sitas, omnes mathematicarum artium cupi-
 dos & peritos ad eas celebrādas euocare &
 arcessere, & inuitare visa sunt, mirum quan-
 tū noster ille pristinus amor ardorque cre-
 uerit, quantūque ad flagrantissimum illud
 nostrum earum desiderium, tantis illecebris
 cumulus, accessisse videatur. Nanque & in
 pristino instituto cōfirmatus est animus, ac
 ne propositi nos & consilij pœniteret, effe-
 ctum. Fuit autem nostrum id consilium, ut
 quemadmodum vrbes multas & regiones
 obire & cōcurrare egregium ducitur, quod
 inde multa rerū cognitio, magnūque vñus

comparatur: at in pulcherrima & cœli clementia saluberrima, sedes & habitandi domicilium constituendum est: sic homo liberaliter educatus, nullius quo ad eius facere possit, artis expertus & rudis sit. at in omnium præstantissimæ tamen, & principis disciplinæ studio acquiescat. Mathematicis porro artibus, siue earum omni hominum memoria vetustiorum antiquitatem spectes, siue præceptionum constantiam, & in omni sempiternitate ratam ac immutabilem veritatem, siue rerum earum quas tradunt & profitentur excellentiam, & diuinitatē, siue eam, quæ ex iis percipitur, incredibilem voluptatem, siue ad omnes humanæ vitæ partes usus, & immensas ac innumerabiles opportunitates: siue denique quiduis quo artes fieri cōmendatiores possunt, cōsideres, & diligentissimè circumspectas, nihil, inquam, mathematicis artibus, æquè magnificū & augustum ac regale, cōperies. Quæ nobis earum colendarum & complectendarum causa & stimulus fuit, ut in mathematicarum artium tractatione & professione, tanquam omnium pulcherrima vrbe, non diuersandum nobis, sed hærendum: non immorandum sed habitandum, atque hoc vitæ curriculum conficiendum, statueremus.

Ac Mathematicarum quidem artium cū tanta sit dignitas & excellentia, quantam
scimus

scimus omnes, omnes predicamus, iure mirum videri possit vsque adeò earum studia frigere, vsque adeò negligi, & contempta iacere, vt nihil propius factum sit, quàm vt superioribus annis Acad. Paris. exularent. Etenim mortuo Forcadelo, qui has artes, qua poterat facultate tuebatur, cum regio mandato proposita esset harum artium peritis mathematica professio, qui eam peteret, tanto quidem dignus munere, inuentus nemo est: quo factum est, vt complures hēliteræ menses cōticuerint, nullaque mathematici tota Academia vox audita sit. Neq; viro trienniū iam propè mathematica vlla linea ducta esset, nisi viri quidam optimi, & Academię solitudinem, & mathematicarum artium tantum non impendens & imminens fatum miserti, has sibi esse excitandas & reuocandas, duxissent. Quorum ego virtuti & meritis debitum laudis præconiū, in hoc eruditissimorum virorum cœtu & conuentu, non esse silentio à me prætereūdum existimo. Sed cum hac oratione constituerim eorum laudes breuiter attingere, qui bene de his artibus merentur, certè eos vel cum primis ad eum esse numerum ascribendos & aggregandos, iudico. Primus igitur Henricus Monantholius, secundū Forcadeli obitum, medicæ artis professione licet occupatissimus, cum cerneret mirum in Academia harum artium silentium, miram

Monantholius.

ignorationem, & eam quæ quondam omnium totius orbis Academiarum princeps omni literarum genere fuisset Academia, tantis spoliata ornamentis & orbatam doleret, & præclariss. artibus ac diuinissimis, in ea locum esse nusquam graue duceret, quæ ab ea acceperat doctrinæ decora & ornamenta, iisdem eam ornare & decorare, & tanquam ætate confectam parentem alere & sustentare instituit.

Ergo non defuerunt ipsius virtuti præmia, sed compensatione, non tam fructu & emolumento, quàm regio iudicio & beneficio illustri, excepta est. Cum enim eruditionis fama ipsius increbresceret, & constanti ac consentiente discipulorum voce & testimonio celebraretur, tandem etiam ad Regias aures appulsa est. Itaque huic Rex, pro meritis & doctrina singulari, Regiam harum artium professionem detulit. Cuius encomium nihil necesse habeo pluribus persequi, quod & virum pudentem, coram in os laudare vereor, & eum vobis non esse ignotum scio. Sed huius propriam ac peculiarem esse Mathematicarum artium conseruatarum & reuocatarum laudem non passus est Demerlierius, qui iam pridem earum doctor designatus, siue quod unum ad ea tradendas sufficere Forcadelum iudicaret, siue quod Philosophiæ studiis occupatus detineretur, seu quod se ad extremum ha-

Demerlierius.

rum artium tempus referuaret, cum antea quieuisset, euocantis auxiliūque suum implorantis Academiae vocibus commotus, socium se laboris & gloriæ confortem H. Monanth. esse voluit. non tam reputans, quanta occupationum mole obrueretur, quā quid Academia mereretur, nec quātum esset onus subiturus, quantas molestias hausturus, quantosque labores exantlaturus, quā quantum studiosam iuuentutem, disciplinarūque cupidam, promeriturus. Nec operæ nec labori parcens dum has artes amplificet & illustret. Ergo vtriusque laudes, vt hominum bene de mathematicis meritorum & merentium, omnes anni consequentes excipiant.

Horum nos commemoratio admonet, de cæteris professoribus Regiis illustrissimis & clarissimis rei litterariæ luminibus, non esse silendum nobis, sed eorum laudes, quamuis in alio disciplinarum genere versantium, quantum nostri quidem ingenij tenuitate consequi possumus, voce clarissima prædicandas & celebrandas. Etenim quæritis qui Theologiam, qui litteras Hebræas, quibus salutis mysteria nostræ commissa sunt & concredita, foueant, profeminent, conseruent? viri pietate illustrissimi Iohannes Quinquarboreus, Gilbertus Genebrardus. Quæritis qui morborum expul-

Professorum Regiorū brevis laudatio.

tricem, vitæ tutricem & conseruatricē hu-
 manæ medicinam tueantur, qui tanti no-
 bis, qui Galliæ, qui Europæ, qui ipsi deni-
 que posteritati sint authores boni? Magnus
 Ludouicus Duretus, & ornatiss. Comes,
 & Chirurgiæ illustrator Martinus Akakia.
 Quæritis, qui animorum pabulum Philo-
 sophiam sufficiat, & bene beatēque viuen-
 di, rationes præscribant. Doctissimus &
 integerrimus, Iohannes Pelerinus. Ornatif-
 simus & sapientissimus, Symeon Malme-
 dianus. Quæritis, qui bene & ornatè & co-
 piose dicendi vias & rationes common-
 strēt, effatamque propemodum eloquen-
 tiam sustentent, viri nunquam satis laudati
 & poësis simul & eloquentiæ antistites ve-
 nerandi, Leodegarius à Quercu, Ioannes
 Passertius. Quæritis, qui literarum omnium
 & disciplinarum thesaurum, Græcum illu-
 strent sermonem, Nicolaus ille Gulonius,
 Ludouicus vere rigius, Iacobus helias. Sed
 horum tot ac tantorum virorum virtutes
 & ornamenta, aliorumq; qui extra hūc or-
 dinem, ad laudis tamen societate iure à no-
 bis vocarētur, Iohannis Aurati poëtæ Re-
 gij & Regij quondam Græcarū litterarum
 professoris, Andree Theueti vnus de prin-
 cipibus huius ætatis Mathematicarū. Gos-
 selini iisdem disciplinis eruditissimi, & Re-
 gie Bibliothecæ præfecti, hoc est, litterarum
 custodis diligētissimi. Horum inquam tot

ac tantorum virorum, ne explicandas in
 præsentia virtutes & celebrandas suscipiam,
 id causæ est, quod res tam eximiæ & in-
 gnes, quæ non breui, sed copiosa, non in-
 compta, sed ornatissima, non ieiuna, sed
 omnibus & verborum & sententiarum lu-
 minibus & pigmentis referta & illuminata
 oratione, exponenda sunt, satius multo est,
 nō attingere, quā breuiter, quā inornate,
 quā exiliter & ieiune tractare. Horum
 itaque laudationem, quam ab illis quidem
 non desiderari, à vobis tamen expectari, vi-
 deo, in tempus opportunius, cum eas ex
 professo tractabimus, reiiciemus. lis igitur
 pace & venia vestra dilatis, iam ad propio-
 ra remque ipsam, qua de agitur veniamus.

*Legatio
 professio-
 nis narra-
 tio.*

Petrus Ramus, professor Regius, philoso-
 phiam & eloquentiam annos complures,
 cum summa ingenij & doctrine commen-
 datione professus, tandem, vt erat homo,
 qui non vnus artis cognitione cogitatio-
 nes terminaret suas, sed omnes humanitatis
 artes, animo complecteretur, mathematica-
 rum artium, quas leuiter adolescens attige-
 rat, cognoscendarum studio incredibili fla-
 grauit. Itaq; doctores sibi ad eas adhibuit.
 vt autem progressus non mediocres in iis
 fecisse visus est, publicè etiam profiteri cœ-
 pit, atque ad eas capessendas, acriter ado-
 lescentes inflammare: Cūque eas disci-
 plinas impense complecteretur, & celebra-

ri maximopere optaret, vt iis etiā vita functus auxiliaretur, 500. in annui laboris stipendium viceſſibus de ſuo vectigali legatis, mathematicam profeſſionem teſtamento inſtituit, ea pendentia, vt ad eam nemo, niſi ſummorum virorum iudicio digniſſimus habitus, admittatur. Nam trimeſtri quidem ſpatio vt promulgetur, conſtituit, quo tempore exacto, qui munus id ſibi depoſcēt, ſenos aut ſeptenos dies, de ſingulis mathematicæ partibus, corā Regiis profeſſ. prælegant. Ad examen nemo, niſi qui Græcè & Latinè ſciuerit, & artibus præter mathemata reliquis imbutus fuerit, admittatur. Qui regionum profeſſorum ſuffragio omnium probatiſſimus diſceſſerit, is eo triennium munere fungatur, quo vbi perfunctus fuerit, rursus eadem profeſſio eruditiſſimis quibūſque proponatur. Ita tamen, vt vetus doct̃or, ſi aut par ceteris, aut paulum modo inferior inuentus fuerit, iis omnibus anteponatur. Atque vt id perpetuū foret Academia Pariſienſi, omnes penes quos eius rei poteſtas eſſet, orauit. Procuratores teſtamenti Nicolaum Bergeronium & Anton. Oeſelum celebres & nobiles cauſarum actores nominauit. Ea igitur profeſſio à P. Ramo Academia delata, ab ipſius procuratoribus aſſeruata, à Senatu ſtabilita & confirmata, mathematicarum artium ſcientia inſtructū & eruditum quē-

piam expectat. Quæ cum ita sint, faciendum nobis est, ut & facimus tam egregium breuiter ornemus, & eorum qui hac in re Academiae operam nauarunt, studium & diligentiam commemoremus, & amplissimo denique senatui, auctæ & ornatae magnificentissimo senatusconsulto Acad. gratias immortales agamus. P. Rami quidem hoc in rem literariam beneficium, duabus rebus adducti, collaudabimus. Tum quod virtutis & rerum præclare & honestè gestarum, compensatio laus est ipsarumque prædicatio. Tum etiam, ut cæteri ad eximij & laudabilis exempli imitationem inuitentur, cum intelligat bene de re literaria merentibus, laudum suarum præcones & buccinatores, nunquam defuturos. Quod si tam insignis beneficij memoriâ, voluntaria obliuione cõteremus, quis iam se rem literariâ augendo & ornando, digna esse elogia consecuturum, sperauerit? Quis rem suam in posterum laudis & gloriæ consequendæ fiducia, in Academiam profuderit? Sapientissimè enim veteres ut & summis viris debitas laudes tribuerent, & reliquos ad eorum virtutes imitandas & amplexandas accenderent, antiquissimo & oppidòque laudabili instituto, clarorum virorû, lucis huius vsura perfunctorum res gestas & virtutes prædicare, & funebres in eos orationes habere, quæ ex eo ἐπιτάφιοι λόγοι appel-

labantur, consueuerant. Quinetiam choris
& musica, eorum funera & gymniciis cer-
taminibus, & equorum ac triremium con-
certationibus, & multarum victimarum im-
molationibus, cuiusmodi extrema Iliade à
poëta in magnificentiss. Patrocli funere de-
scribuntur, ornabāt. vt mirer, tanto tempo-
re defuisse qui morem hūc laudatiss. rei que
publicæ vtilissimum, reuocarēt, Qui regiis
professoribus, rei literariæ columinibus, &
clarissimis luminibus, laudationis & exor-
nationis iusta & parentalia, persoluerent.
Quare, vt non hęc summi viri meritò susci-
peremus, at superstitum certè causa, & eorū
qui ex hoc ordine rem literariam fulcient,
sustentabunt, illustrabunt, vt id aggredere-
mur, nostra nos in summos viros obseruan-
tia & incredibilis amor hortaretur & im-
pelleret, quò exemplo nostro, cæteros ad
egregiam consuetudinem reuocandam, in-
uitaremus. Et si enim non nemo fortè repe-
rietur, eorum qui Troiani aut Persici belli
tempore fuerunt, quàm eorum, quibus plu-
rimum debetur, lubentius encomia auditu-
rus & auidius, non ideo tamen, vir corda-
tus, malignis eius affectibus, potius quàm
rectissimis bonorum studiis obsequetur &
morigerabitur. Quibus de causis, spero me
id equidem vobis omnibus approbantibus
facturum, quod officij mei, quod susceptæ
personæ ratio, quod viri meritū, quod pu-
blica

blica utilitas à me, quasi suo iure, flagitare & postulare videntur. Quanquam inuitus, nec lubens facio, ut tantum oneris suscipiam, & meriti huius cōmendandi, & beneficij magnificentiss. senatus prædicandi. Quod & meæ mihi sunt imbecillitatis conscius, & temporis certè in quotidianis occupationibus meis, vix satis habui, ut ad omnia me compararem. Postremo quòd præstantium virorum laudes celebrare, quanti sit operis & difficultatis intelligo. Argumento est, quod ceteris de rebus sæpenumerò quidē à nostris hominibus dicitur, laudes autem illustrium virorum qui prædicet neminem videas. Quibus id ego facile ignosco. Etenim poëtis multa orationis lumina, multi flores. multa insignia & pigmenta concessasunt. His enim & congregantes cum diis homines facere, & sermones conferentes, & quibus velim auxiliâtes, permittitur. eaque non modo vsitato & vulgari genere sermonis describere, sed tum peregrinis vocibus, tum nouis, tum trāsflatis, denique nihil non quod ad illuminandam & artificio quodam ac expolitione distinguendâ orationē valeat, adhibere. At oratoribus non itē: quibus cōsuetis verbis & popularibus, & sententiis à communi hominum vsu & consuetudine non abhorrentibus, uti necesse est. Præterea alteri numeris & mensuris & versibus omnia conficiunt, alteri his

*Amplific.
per colla-
tionem cū
Poëtis.*

destituuntur, quorum quidem vis tanta est tantusque lepos & venustas, ut etiam si nec verbis, nec sententiis sit illustribus insignita poetarum oratio, concinnitate nihilominus ipsa & volubilitate numerorum, audiētes capiat, teneat, oblectet. ut si quis pulcherrimorum poematum, relictis verbis & sententiis, numeros subtrahat, omnē leporem & concinnitatem sustulerit. Attamen quamuis hisce omnibus adiumentis à poetis superemur, non absistendum incepto est, sed tentandū an oratione ut poesi, egregia facta exornari & commendari queant.

*Ingressus
ad exor-
nationem.*

Solent plerique omnes, & dum viuunt, benefacta apud liberos suos, apud propinquos & amicos locare, & cum è vita excedunt, eosdem bonorum & fortunarum suarum heredes scribere. more sanè quā laudabili & honesto. Hæc enim non hominū institutis, sed natura: non legibus, sed insita quadam ratione, consuetudo continetur. Atque ut nostrorum potius quàm alienorum commoda tueamur & comparemus, iā inde ab ipsa natura accepimus, hausimus, expressimus. Sed genus illud hominum longè laudatissimum & præclarissimū est, qui ita suos amplectuntur, ut publicas utilitates non deserant. Ita suos curant Remp. ut non negligant. Ita suis benignè faciunt, multa ut etiam de suis riuulis, ad communem hominum societatem tuendam, deriuent. Itaque

v t quisque celsissimo semper fuit animo &
 generosissimo, ita publicas maximè utilita-
 tis augere & tueri, & amplificare conatus
 est. Hinc summorū virorū, quorum etiam
 nunc viget semperque vigebit memoria,
 suscepti pro rebus suis publicis labores,
 profusæ copiae, pericula adita, mors etiam
 sæpè appetita. An nos Thesei, nos Herculis *Theseus*
 labores & certamina cum commemorari *Hercules.*
 audimus, ficta esse illa & falsa suspicamur?
 At res longè aliter se habet, & nos summis
 viris debitas laudes eripimus & deroga-
 mus. Gesta enim, gesta illa ipsa sunt, quæ tã-
 topere à poëtis decantantur & tum The-
 seus, tum Hercules multa pro hominum
 salute tuenda pericula adierunt, in multa
 cum feris certamina, cum mōstris immani-
 bus, cum latronibus & grassatoribus, descē-
 derunt. Quæ tam poëtis præclara visa sunt,
 vt dum ea pro eo ac debent laudare insti-
 tuunt, & consuetis ad illustrandum menda-
 ciunculis aspergūt, factū sit, vt rebus in to-
 tius Græciæ oculis gestis & patratis, fides
 propemodum abrogaretur. Quibus tamen
 non quia magnifica, minimèq; vulgaria vi-
 dētur: fides idcirco detrahēda, quin potius
 tanto vberior & cumulatior laus tribuen-
 da fuit. Quid vobis hic Atheniensium Re- *Codrus.*
 gem Codrum seruilī ex oraculo indutum
 amictu, in medios se coniicientem hostes,
 interitūque suo Atticam conseruantem

sistá? Quid Erechthei filias quę mortem cupide pro vita ciuium expetiuerūt, referam? Quid Leonidam Lacedæmonium, Quid Thebanum Epaminondam memorē? Aut qui se vt Romam pessum euntē conseruaret armatus in voraginem demisit, Curtium Romanum? Quid Genitium Cippum prætorem, qui cum Romæ potiri rerum posset, ne patrię seruitutis iugum imponeret, si Romam redisset, voluntario se in perpetuū exilio multauit? Quid Ælium prætorē, qui patrię commoda saluti propinquorum & gentilium anteposuit? Quid se pro patrię salute deuouētes Decios, & in hostes à quibus sui valde premebantur vehemētem impressionem faciētes, qui terrendis hostibus suis exacuendis sibi exitium, patrię salutem attulerunt. Sexcenta id genus hominū bene de suis meritorum exempla, nobis afferre liceret, nisi lubentius in nostrorum hominum commemoratione nostra, versaretur oratio. Ab iis igitur abeo, ad nostros venio. Neque enim verum est fuisse, gentibus homines incredibili quadam in ciues suos & Resp. charitate. Christianis defuisse, sed hic ea vel maximè viguit. Christianorum quidē primi illius nascentis Ecclesię Christianę seculi ipsorū inter ipsos sacris literis proditus & testatus amor est, qui nihil suū proprium ducerent, sed bonorum societatem coirent, fortunisque alij aliorū tanquā

*Christia-
norū cha-
ritas.*

suis, & omnium communibus vterentur.
 Horum virtutes & charitatem posterorum,
 imitata est charitas. Anne enim ego vos, ô
 beatæ sanctorum patrum animæ, beati ma-
 nes, in hac hominum in suos beneficorum
 & pietate insigniū laudatione, tacitus præ-
 teribo, Qui Deo immortalis, qui diuis, qui
 diuabus aras posuistis, tépla & delubra ædi-
 ficastis, & pretiosiss. diuini cultus supelle-
 ctile instruxistis. Qui Sacerdotia, qui ere-
 mos, qui Episcopatus, qui cœnobîa fun-
 dastis. Qui venerabile illud sanctorum
 patrum, & augusta maiestate suspicien-
 dum, Cardinalium collegium, qui deni-
 que Romanum constituistis pontificatum?
 Vos Diaconis, vos Presbyteris, vos Cano-
 nicis, vos Sacerdotibus, vos Cœnobiarchis,
 vos Episcopis & Archiepiscopis, vos Car-
 dinalibus, vos Pontifici denique Romano,
 domicilia, fundos, villas, predia, decumas,
 prouentus, palatia, ditiones, principatus &
 regna attribuistis, vt rebus ad vitæ cultum
 necessariis suppeditati, curas omnes suas &
 cogitationes, in pascendo Christi grege fi-
 gerent & locarent. Quæ tantæ igitur cha-
 ritati, tantæ pietati satis ampla vnquam
 persolui possent præmia? Anne laudes &
 encomia? At mortalia illa sunt & caduca,
 merita vestra immortalia. An preces, an sa-
 crificia vestraque ad puluinaria, supplica-
 tiones? At tantis etiam illa meritis longè

minora sunt & inferiora. Quid igitur? certe ita res habet, ut omni compensatione humana, maiora illa sint & præstabiliora. Vna est quæ tam præstantem æquare compensando virtutem & pietatem possit, cælestis regni remuneratio. Quo quidem ut spero & iam recepti estis, & in perpetuum, diuinæ maiestati assidentes, ut nostra fides est, fruemini. Ac maiorum quidem hæ nostrorum

*Maiorum
in rem lit-
terariâ li-
beralitas.*

in rem Christianam benignitas, hæc liberalitas fuit. In literas & humanitatis studia, qualis extitit? Anne hoc dici potest, rei ipsos Christianæ fuisse studiosissimos, literas & disciplinas neglexisse? At eorû in ipsas studium & amorẽ, quæ non testantur & præferunt monumenta? Testantur ædificata ab iis Gymnasia, testantur Academię fundatę, testantur delati honores amplissimi, Testantur honorificentissima, quibus litterariam professionem ornarunt & cohonestarunt priuilegia. Dum artes & disciplinæ colentur, dum literæ loquentur, Caroli illius magni huius Academię fundatoris beneficium prædicabitur. Dum schola Nauarræa stabit, Philippi Pulchri regis & Iohannæ reginæ memoria & beneficentia vigebit. Dum vlla supererunt huius Academię

*Carolus
magnus.*

*Philippus
pulcher.*

*Tres Epis-
copi.*

vestigia, trium Episcoporum, quorum communibus sumptibus ædificata hæc ipsa schola est, laus & gloria florebit. Ac ne singulos quos innumerabile fuerit persequar,

Francisci Regis hoc est literarum fautoris,
 artium & disciplinarum parentis Elogia, & *Francis-*
 reſtitutarum disciplinarum gloria, nullis *cus Rex.*
 unquam ſeculis intermorientur, ſed à no-
 bis poſteriſque decantabuntur, & in cælum
 vehentur. Hoc in Gallia regnante: literæ
 expetebantur, ignorantia frigeſcebat, ſtudia
 omnia liberalia colebantur, inertia & inſci-
 tia iacebat: docti & eruditi ſummis hono-
 ribus cumulabatur, margitis ad eos & cho-
 roebis aditus & accessus non patebat. Ego
 verò quod de eo auditione accepi, minus
 fortasſe in vulgus notum, referā. Rex enim
 ille Budæi viri doctiſſimi ſuaſu Regiis, qui-
 dem hoc profeſſoribus Gymnaſium aſſi-
 gnauerat, ſed cùm ſibi ipſe nō ſatisfaceret,
 qui literas eſſe quàm ornatifſimas cuperet,
 in animo habebat, amplum & magnificum
 & verè Regiū Regiis profeſſoribus in hac
 Academia Gymnaſium ædificare. In quo
 & ſplēdidè cum ſuis familiis habitarent &
 liberalia haberent, ad ſe ſuòſque alendos
 ſtipendia & honoraria. Huius conatus &
 contentiones, priuſquam portum conſpi-
 cere valerent abruptit in medio curſu præ-
 matura & iniqua mors, & inceptum ab-
 ruptit præmatura mors. Mors literis & li-
 teratis dolenda. Mors quæ artibus plagam
 infixit grauifſimam. Mors quæ in eundem
 propè litteras interitum exitumque pertra-
 xit. Ecquis igitur ex tanti viri oſſibus

*Cuborta-
tio ad Re-
gem Hen-
ricum.*

nepos aliquis exorietur, qui auctorū emu-
lus studiorum, quas ille res prudentissimē
cogitauerat, & in animum induxerat, is eas
perficiat, & ad exitum perducatur. Par ut ve-
rissimile est in Regibus Henrico, Francisco,
Carolo voluntas fuit, sed consecuta pacis
& otij literarum inimica tempora, eorum
conatibus obstiterunt. Quæ utinā tua nunc
prudentia sedata & cōposita, Henrice Gal-
lorum & Polonorum Rex inclyte, tibi ad
literas ruentes, & ad occasum vergētes, ex-
citandas & restituendas, ansam præbeāt, vo-
luntatēque afferant. Præripe hanc poste-
ris laudem tuis: Noli literas cuiquam plus
quàm ipsi tibi debere: facito ut hoc de te
potius posterī prædicent, te cum literas oc-
cidere pati potuisses, eas erexisse, quàm cum
erigere posses, neglexisse. Nullū nec ad no-
minis tui famam illustrius, nec ad maiesta-
tem gloriosius, nec ad perpetuitatem dura-
bilius, constituere tui monumentum potes.
Nam vestra quidem hæc Regia palatia &
arces munitissimæ, temporis sunt ludicra &
omnia absumētis & conficiētis ætatis: at ve-
ro illustrium factorum præconia, eloquen-
tissimorum hominum monumentis confi-
gnata, scriptisque posteritati prodita, & cō-
mendata, nulla nec ætate consenescent, nec
vetustate depereunt, nec obliuione conse-
peliuntur. Ad hæc igitur ut speramus simul
ac te collegeris & refeceris animum & co-
gitatio-

gitationem tuam conuerteres. Verum ex hac liberalitatis laude, quamuis Reges & principes propter meritorum magnitudinē magnitudinem maximam, priuati tamen, nonnullam sibi quoque beneficētiæ laudē, quasi iure suo vendicabunt. Neque enim, si minus excelso sitæ loco priuatorum res gestæ sunt, ea propter, aut promerendi in iis voluntas minor, animusque angustior existimandus est, aut minus illustri gratia excipiendus, aut digna & merita prædicatione fraudandus. Verum priuatos omnes bene de literis meritos recensere nec necesse, nec facile, aut promptum fuerit. vnum igitur modo, aut alterum paulò illustrius exemplum cōmemorabimus. Honeſta cū primis Grassinorum est familia, ex qua Thyerrius Grassinus, Cū singulari quodā in patriā, in literas, in Academiam flagraret & arderet desiderio, maximam bonorum suorū partē ad scholæ extructionem legauit. Benefactū omni profecto commendatione, omni laude dignissimum, tantōque illustrius, quanto minus defuit homini, cui fortunas suas traderet, huic enim frater erat, & quidē frater charissimus, nec idcirco fraterna charitas ipsius in rem literariam obstitit pietati, aut benignitatis & munificentiae cursum ipsius retardauit. Nanque & fratrem heredē scripsit, & copias suas cum popularibus suis, cum re literaria, communicauit. Quis

Grassinus

*P. laus
Rami.*

porrò interpretari potest, illéne populariũ suorum fuerit studiosior in legãdo, an frater in edificãdo fidelior, in augendo & amplificãdo legato liberalior. Quid? Annon & hæc quoque P. Rami beneficentia & literarum amor, in hanc laudis societatem & partem veniet? num is beneficus in rem literariam numerabitur? Qui bonis & copiis suis in eam conferedis, Academiam pro viribus auxerit & ornauerit? O facinus prædicandum, summisque in cœlum laudibus vehendum, & grata in sempiternũ memoria prosequendum! Etenim si qui magnorũ virorũ vestigia virtutésque persequuntur, resque eorũ præclarè gestas imitãtur, summis ipsi quoque viris aggregantur: & tum viui magnis honoribus à suis ciuibus afficiuntur, tum mortui, quasi cœlestia quædã numina coluntur, quantum iis tandẽ laudis esse impertiẽdum iudicamus, qui exemplo ceteris ad res magnas audẽdas suo præluxerunt? qui fructuosa in Remp. instituta inuexerunt? quique ad eam ornandam duces cæteris & authores fuerunt? Præclarum ducitur & commendãdum, beneficia apud amicos & priuatos ponere, cum nulla re propius quàm liberalitate ad deorum immortaliũ numen accedatur. At ea in Remp. conferre, quanto est præclarius & præstabilius? Quid dicam sempiterno sibi eã deuincire & obligare beneficio? collata in

priuatos merita, tantum singulis sunt fructuosa: In Remp. vniuersis: At ea quæ sunt perpetua, profunt etiam posteritati. Quid igitur huic P. Rami beneficentiæ summæ ac perfectæ laudis commédationisque abest? Nam si laudandi sunt qui bene de re literaria merentur, P. Ramus optimè est meritus. Si celebrandi sunt qui non exigui eam temporis sed immortalibus beneficiis afficiunt, P. Ramus eiusmodi contulit, vt non nisi cum Academia sit interiturum. Si denique præcipua quadam & insigni prædicatione ferendi sunt, qui principes ad eam amplificandam cæteris fuerunt. P. Ramus nullo exemplo, rem literariam mathematicæ professionis institutione auxit & illustrauit. Quamobrem quod mathematicæ deinceps disciplinæ vt auguror vigeant, P. Rami id erit merito, non minima ex parte assignandum. Quod erunt deinceps, vt exopto, qui bonis & fortunis suis Parisiensem Academiam locupletabunt, etiam hoc P. Rami erit merito, exemploque utilissimo ascribendum. Sint igitur deinceps, qui in locuplete & nobili & copiosa nati familia P. Rami benignitatem benignitate vel adæquent vel superent sua. At eundem illi tamen facem sibi prætulisse, authorémque & antesignanum fuisse, & agnoscet & prædicabunt. Quantis igitur laudibus, quantis honoribus, tam propensa voluntas, tam

proluxa liberalitas, remuneranda fuerit &
 compēfanda? Demosthenem Athenienses,
 quod vrbis mœnibus instaurandis & refi-
 ciendis sumptus aliquos fecisset, aurea pro
 concione corona donauerunt. At illa &
 Macedoni nihilominus peruia fuerunt &
 tandem collapsa sunt & ceciderunt, nec
 omnino perenne id esse poterat, quod ex
 calce, ex cæmentis & lapidibus, aptum &
 suspensum esset beneficium. Ergo si ille au-
 rea dignus corona fuit, hic certè statua. Ar-
 chimedi statuam Syracusæ statuerūt, Ephe-
 sus Cresiphroni, Rhodij Diogneto Græcia
 Gorgiæ: Quin & nos P. quoque Ramo sta-
 tuam in Academia, ipsi ad virtutis moni-
 mentum, ceteris ad beneficentiæ hortamen-
 tum ponimus? Etenim si vobis sic visum
 fuerit, multos mihi credite Ramos, hoc est
 in Academiam beneficos munificosque
 nanci scemini. Sed vt ea vobis de re cūmq;
 videbitur, At P. certe Ramum semper Aca-
 demia Parisiensis agnoscat suum. At de illo
 hæc eadem læta & grata perpetuo prædi-
 cabit. Primus omnium P. Ramus fortunas
 suas Academiæ legauit. Primus Mathema-
 ticam priuatus professionem instituit. Pri-
 mus artibus pulcherrimis professorem ex-
 traordinarium assignauit. Primus eas de-
 nique, non voce, non scriptis modo, sed co-
 piis & fortunis suis auxit, ornauit, propaga-
 uit. Hic ego cetera viri ornāmēta virtutēs-

que prætereo. Taceo incredibilē quandam
 animi celsitudinem & cōstantiam, frugali-
 tatem, temperatiam, castitatem, lenitatem,
 iustitiam Mitto eius vigilias & labores &
 præclara ingenij monumenta quæ in mani-
 bus versantur, virique reconditam quan-
 dam eruditionem, voce clarissima loquun-
 tur. Sileo de eius loquentia, quæ tanto im-
 petu sonitūque ferebatur, vt quocumque
 incubuisset, eo facile hominum animos fle-
 cteret & pertraheret. De græci sermonis &
 Mathematicarum artium peritia, de philo-
 sophiæ illustratione. Susceptam denique
 periculosissimo tempore, laborātis & odio
 atque inuidia ardētis Academię causam, &
 coram Rege defensam, prætermitto. Quæ
 omnia P. Ramum omnis virtutis & erudi-
 tionis illustre quoddam exēplar fuisse de-
 clarant & testificantur, & quibus denique
 non hora, non hodierna dies, enarrandis &
 exornandis sufficiat. Vt autem poëtæ, cum
 se non omnes Deorum immortalium lau-
 des complecti posse intelligant, peculiares
 iis ex membri alicuius præstantia laudes
 aspergūt, vt cū ἡρῶ λευκώλενον & βοώπιδα
 albis præditā vlnis bubulísque, hoc est, for-
 mosis oculis Iunonē canūt. & ἀθηναίαν γλαυ-
 κώπιδα cæliam Mineruam: θέτιν ἀργυρό-
 πεζαν, insignē argēteis pectibus Thetidem
 ipsūque ὑψιφρεμέτιαν Δία Iouem alti-
 tonantem appellant, nec eas dīj tamen lau-

*Digressio
ad cohortationem.*

des dedignātur nec aspernantur. Ita & nos cū omnes P. Rami laudes prædicare infiniti esse operis sentiamus, beneficentiam ipsius tantum & in Academiam liberalitatem, ex infinito virtutum cumulo commēdamus. Ecquis igitur vestrum tam egregij facinoris & memorabilis, viri clarissimi, & vos adolescentes nobilissimi, æmulum se & imitatore[m] constituet? Quis æterna apud Parisiensem Academia beneficia collocabit? Quis rem litterariam ornando & amplificādo, sempiternam sibi gloriam & immortalem comparabit? Sūt monachis, sunt iura profitentibus ampla & magnifica auditoria. At publicis & Regiis professoribus, tam eruditis digna & apta vocibus auditoria, præter hoc quaecumque adhuc ut scimus, desiderat Academia. Ecquis igitur Grassinus, quis Ramus, sibi monumento, Academiae ornamento ædificabit? Franciscus Rex optimus liberalia, ut illis temporibus, regiis professoribus, constituerat stipendia, maiora etiam si vita suppeditasset, assignaturus: & tunc tamen sacerdotia illis in stipendiorum supplementum donabantur. Nunc autem hac annonæ caritate, an quadringenarum libellarum ægrè & precariò extortarum, satis magnum ad liberos, & uxores, & familiam alendam, & filias collocandas, prouentum & redditum existimamus? an tanta virtute dignam, & e-

ruditione, illam nos mercedulam iudicamus? ecquis igitur vel liberaliss. Regem nostrum admonendo & cohortando, vel hæredem Academiam scribendo, hanc rei literariæ multo nobilissimam partem sustentabit, & clarissimum illum ordinem ornabit? Habet, habet Academia alumnos satis multos, quos in eius laudibus celebrandis occupabit. Certatim mihi credite, ad hoc opus curretur, & faciendi adolescentes, virique disertissimi, illius sibi ad exornandum & eloquentiæ suæ vires explicandum, merita proponunt. Ne modò desint Academiæ benefici, ipsis non deerunt laudatores. Quod si eum viris locupletibus & copiosis Deus aliquis meliôrue natura, sensum dederit & inusserit, ut ad ornandas literas omnes, & ingenij & facultatum copiarumque nervos, sibi esse contendendos existiment. O nos beatos & fortunatos! ô secula verè aurea, & Saturnino ævo illo multis partibus fœliciora & beatiora! Non modo traditæ ab antiquis & maioribus nobis artes colentur & cognoscuntur, sed limabuntur, expolientur, plurimisque solertibus inuentis locupletabuntur. Quinetiam artes & disciplinæ adhuc incognitæ, quarum ne in mentem quidem venire cuiquam potest, in lucem proferentur. Possem, nisi longius processura esset oratio, veterum historiis & antiquitatis memoria replicanda, artium or-

*Amplificatio à cō-
sequenti-
bus.*

*Gratia a-
guntur Se-
natori.*

*Procura-
tores.*

Pelegei⁹.

tus & incrementa & accessiones, eamque
quàm adhuc cōsecutę sunt absolutionē nō
aliunde, quam ex his profecta esse princi-
piis & adiumentis demonstrare. Cultu si-
quidem & honore, artificia sustentantur:
contemptu deseruntur & derelinquuntur.
Sed hæc ut cupio ita & futura esse tandem
aliquando confido. Sed iam tempus est, ut
ipsi etiam amplissimo senatui, gratias aga-
mus. Namque hoc ipsum P. Rami benefi-
cium irritū fuisset & inutile futurum, nisi id
patres conscripti valere voluissent, nisi de-
nique restituisent. Sed antequā ad ea venio-
ne quia de re cum amplissimo senatu ege-
rūt, & egregiā Academiæ operā nauarunt,
prætermisos se à nobis fuisse, iure queran-
tur, faciemus ut eorum vobis opera & dili-
gētia innotescat. Principes partes obtinue-
runt testamenti Procuratores Nicol. Ber-
geronius & Ant. Oesel⁹, viri honorati rei-
literariæ nati, qui adeundis, conueniendis
solicitādīs, & senatus præside, & regiis ora-
toribus, & procuratore, & omnibus deni-
que quos oportuit senatoribus, & sumpti-
bus faciendis, & laboribus suscipiendis ni-
hil quicquam de summo studio & diligen-
tia reliqui fecerunt, ut iis non minimā hu-
ius beneficij gratiam habere debeat Acade-
mia. His etiam affuit quidā Mathematicis
artibus eruditus, nomine Pelegeius, qui ita
causam istam suscepit, quasi non aliena, sed
sua

sua res propria ageretur. A quibus de Academiae bonis admonitus Senatus, eorum postulationes benignè & humaniter excepit, & gratas sibi esse, non obscurè significavit. Quid vobis hic singulorum studia explicem. Quid principis senatus domini Thuani in audiendo & fauendo alacritatē. Quid D. Thuani, & D. Briffonis Regionum Orationum in exponendo eloquentiam & ardorem? Dominique Gnellj Procuratoris Regij par studium, & contentionem? Quid multis? postulatio Procuratorum Senatui placuit, grata, & accepta cecidit Senatus suffragatus est, comprobavit, confirmavit. Et munificentiss. decreto, ut id perpetuum esset Academiae sancivit. Itaque Senatui ampliss. pro tantis meritis Academiae nomine gratias agimus immortales, & perpetuum splendorem, potestatem, imperium, dignitatem & amplitudinem optamus, Deosque immortales hæc ut ipsi propria esse velint, precamur. Quod superest, quoniam Mathematica professio doctorem desiderat & expectat, maximè quidem harum artium scientia insignes, hortamur & rogamus, ut eas disciplinas conseruatas & illustratas, Academiam auctam & ornatam, velint, ut hoc tam præclari oneris & provinciae suscipiant. Quod si deerunt, qui Academiae curent commoda, eamque completatur, at huic operam tamen nostram, etsi

perexiguum id esse scimus quod præstari à nobis potest: tamen quantulum idcumque est, totum id inquā ipsi offeremus, iamque in præsentiam offerimus, neq; eam si à cæteris deferatur, desertam, quantum quidem in nobis erit, & neglectam esse patiemur. Multa adhuc summorū Mathematicorum scripta Græca, & in Regia bibliotheca, & alibi, puluere & squalore obsita, blattas & tineas pascentia, præsentemque interitum metuentia, delitescunt: quæ interpretis adhuc lucem, vocemque desiderant, & auxilium implorāt. Ea nos præter quotidianum professionis munus, latina facere aggrediemur, si opera nostra uti libeat Academia, nec antequam spiritus nos & vita deficiat, in lucem edere, & cum studiosis communicare desinemus. Gratum igitur, tibi que addictū penitus animum, studium, industriam, vigilantiam & labores, tibi hodierno die ab alumno delata tuo, suscipe & complectere veneranda parens Academia.

M. BRESSIVS habita oratione, Opticē suam docuit, duobus distinctam libris: priori, qui de lumine & umbris fuit: posteriori, qui Euclidean Opticē continebat.

AMPLISSIMIS³⁵

DOCTISSIMISQUE

viris D. A. Thuano, & D. B.

Brissonio Regiis Oratoribus,


M. Bressius utriusque cliens,

S. P. D.



*ATHENIS, viri clarissimi, (quid
namq̃ vetat, quominus ab eadem,
omnis liberalis disciplinæ principe
ciuitate, & humanitatis exempla-
ri, sæpius exempla petantur?) iis,
qui ad ludorum spectacula conue-
nissent, θεωρικόν: qui concionibus interfuissent, in
quibus de rebus ad Remp. pertinentibus consultaba-
tur, ἐκκλησιαστικόν: Denique, iis qui iudicia pu-
blica obuissent, δικαστικόν, hoc est, ludorum spectan-
dorum, & præstitæ in concionibus iudiciisq̃ ope-
ræ, merces & stipendium, donabatur. Quo fiebat, ut
neque in theatris, à spectatoribus: nec in concione, ab
ecclesiasticis: nec in foro, ab iudicibus, esset vnquam so-
litude. Vobis vero, qui superioribus diebus, Regium
gymnasium, cum in eo diceremus, celebrare dignati
estis & præsentia vestra cohonestare, quod à nobis
rependi & exolui poterit meritum & satis dignum
vel θεωρικόν, quod facultatis nostræ spectatores era-
tis: vel ἐκκλησιαστικόν, quod ei concioni & cætui
aderatis, vel δικαστικόν, quod iudices sedebatis? Pa-*

tiemini, viri ornatiss., si quod tenues solent debito-
 res, non maligno animo, sed propter tenuitatem: non
 fraudandi consilio, sed largius & prolixius dissoluen-
 di, nonnihil etiam ipse solutionis diem ducam &
 proferam. Vt enim tellus fruges ferre uberiores solet
 & copiosiores, cum aliquandiu cessauerit & requie-
 uerit: sic tanto vos plura à nobis & maiora expe-
 ctare par est, quanto cunctati fuerimus amplius.
 Neque verò ad perpetuitatem valent, quæ repentino
 & αὐτοχθόνως in lucem prodeunt, sed ut quæque
 serius eduntur & limatiùs, ita viuunt, vigéntque
 diutius, expectationisque & moræ tedium, longin-
 quitate compensant & diuturnitate. Interea tamen,
 ut quaecunque potius meæ erga vos obseruantia
 extaret testimonium, quàm nullum, & obsidem a-
 pud vos, quasique fideiussorem haberetis: nostram
 hanc alteram, pro Mathematica professione oratiun-
 culam, prodire in lucem vestris auspiciis, de amico-
 rum sententia, passi sumus. Valete, & hac vestra
 amplitudine macti estote, nòsque amate.



DE MATHEMATICA

PROFESSIONE A P. RAMO

instituta & ab amplissimo senatu confirmata, M. Bressij Oratio I I.

POSTQVAM res Romanæ ab humilibus initiis, Viri clariss. ad summum imperij fastigium & amplitudinem pervenerūt, & tum finitimis, tum longinquis etiam subactis nationibus, pacem & otium consecutę sunt, populus Romanus honestæ alicuius oblectationis avidus (vt sunt hominum ingenia, ab opere & labore, ad ludos animique remissionem & relaxationem procliuia) fabularum audientiarum, spectandarumque comædiarum, arsit mirifica cupiditate. Quo factum est, vt cum studiose à permultis histrionia fieret & coleretur (magnos enim ad omnem artem celebrandam, artificibus stimulos ad-mouent, populi studia) vnus tandem inuentus sit, qui omnes artis suæ homines, artis præstátia & diuinitate, longo interuallo superaret, Roscius. Firma hominis erant & robusta latera, anima indefessa, clara &

38
splendida & canora vox, linguæ solutio,
verborumque volubilitas, blanda & le-
nis appellatio literarum, gestus denique &
totius corporis motus, actionisque digni-
tas admirabilis. Cuius actionis dignitatem
& suauitatem, multa sunt quæ arguant. Vel,
quòd cum excellentissimo omnium orato-
re, vtrum ipse rem eandem gestu, an ille,
verbis & oratione, sæpius exprimeret &
variaret, decertauerit. Vel, quòd cum esset
natura paulò deformior, eoque personatū
in scenam prodire instituerit, esset tamen
vel sine persona, populo gratior. Sed ex o-
mnibus, nullum est præstantis & diuinæ
ipsius actionis testimoniū illustrius, quàm
quod perfecit & assecutus est, vt in quo
quisque artificio excelleret, quasi vnus esset
perfectus artifex Roscius, Roscius is in suo
genere diceretur. Atq; vt corā tam præstāti
histrioniae artifice & magistro, si gestū quis
agere auderet, is temerarius & impudens
haberetur: quòd nemo se vel minimum
commouere posset, cuius non ille è vesti-
gio vitia animaduerneret, nec quicquam,
nisi perfectum, numerisque absolutū om-
nibus, probaret. Etenim, quæ rudes & im-
peritos artis latent, ea à præstantibus opifi-
cibus, facilè deprehēduntur: quæque igna-
ri mirantur, ea gnari sæpenumero opifices
despiciunt & aspernantur. Quæ me igitur,
malum, prodire in medium ad dicendum

vel insipientia, vel infania compulit & ad-
 git? Dicere enim in Parisiensi Academia,
 hoc est, Europe totius oculo, & dicere apud
 amplissimos senatores, apud regios docto-
 res, dicere denique in tanta virorum erudi-
 tissimorum corona atque frequentia, quid
 aliud est, quàm non modo coram vno, ve-
 rum coram infinitis & innumerabilibus
 Rosciis, gestum agere? Quot namque se-
 natores, quot Regios professores, quot li-
 terarum & artiũ liberalium doctores, imo,
 quot penè auditores video, tot mihi Ro-
 scios videre videor. Neque iniuria. Quæ si-
 quidem orbis plaga, qui tractus, quæ regio,
 quæ hodierno die natio, viros habet Fran-
 cia politiores? In ipsa autem Francia, quæ
 vrbs aut ora, viros alit Lutetia ornatiores?
 Et ex eadem tamen Lutetia, ipsum virorum
 eruditorum caput, florémque præcipuum,
 hîc adesse & circumstare sentio. Ac mihi
 quidem, de iis quos hic adesse video, mini-
 mè omnium esse silentio prætereundi vi-
 dentur, duo clarissima Senatus lumina D.
 Thuanus, & D. Briffonius. Oratores Regij,
 virtute, dignitate, authoritate, sciëntia & elo-
 quentia clarissimi. Nam, quid de Regiis di-
 cam professoribus? Quos quidem, quis tam
 in Academia hospes, tam peregrinus est,
 qui non nouerit? notos non admiretur? ad-
 miratione dignos habitos, non colat, non
 obseruet, & veneretur? Est tamen aliquis,

*Doctores
Regij.*

tam nouus, tamque rerum rudis omnium, quivnum sibi aliquem de summis viris, minus esse notum audeat dicere? audeat compita. Audeat triuia. Ab ipsis me hercle compitis, summorum virorum laudes, labores, vigilias & ornamenta edocebitur. Plenæ namque sunt eorum laudibus omnes vrbes viæ, pleni vici, pleni omnes angiportus, plena omnia compita. Compita, quæ tantum non vocem emittentia, eorum laudes prædicant. Cõpita, quæ ad summos viros audiendos hortantur & inuitant. Compita, quæ sic prætereuntes affantur. Regij philosophiæ, eloquentiæ, medicinæ, mathematicarum artiarum, Hebræarum literarũ, Græcarum, Latinarum doctores, bene dicendi & viuendi ludos aperiunt. Venite, accedite, audite. Regia vobis liberalitate, & summorum virorum vigilantia ac assiduitate, omnia cumulatissimè suggerentur. Prostat virtus, prostat scientia: non venalis, sed gratuita: nõ mercenaria, sed liberalis & absque pretio. Pedem igitur in Regiũ auditorium, tanquã in Lycæũ, in Cynosarges, in Academiam inferto, Mosẽ audies cõcionantẽ & Hieremiam, vel, vti nũc à nobis appellatur, Quinquarboreos & Genebrardos. Audies Hippocratem, Celsũ, Galenũ, scilicet temporibus & ætate dispares, pares facultate, Duretos, Comites, Akakias: salutaria hominum generi, ad vitam & valetudinem tuendã, ad morbos arcẽdos & profligãdos,

remedia præscribentes. Audies Platones ab antiquis & Aristoteles appellatos, à nobis Pellerinos & Malmedianos. Quid rectū sit, quid prauum, quid turpe, quid honestum, quomodo cum principibus, cū ciuibus tuis versere, quæ rerum causæ omnium, quæ naturæ miracula differentes & explicantes. Breuīq; vt spero audies Marium Ambosiū, alterum videlicet Theophrastum, alterum Græcæ decus Philosophiæ. qui & virtutis merito & eloquentiæ, in eum ab Rege cooptatus est ordinē. Audies oratorū Deum Ciceronem, poëtarum Virgilium, Iureconsultorum Scauolam, canorum & suauiloquum senem illum, canis & annis venerandum, fidei Catholicæ & Apostolicæ columen, Leodegariū à Quercu, & Latinitatis antiquitatīsq; scientissimū Io. Passertiū. Audies Euclidem de Geometricis, Ptolemeū de Astronomicis, Monātholios vtique nostros & demerlierios. Audies deniq; troiani scriptorē belli poëtam, & grandiloquum Demosthenē, Nic. Guloniū, Lud. Regium, Iac. Heliā. Dies deniq; nullus, nisi qui Deo, aut diuis, aut diuabus, sanctus & festus est, hora nulla, nullū momētū, ab horū voce & præceptis est vacuū. Quorū assiduitatē & diligentīā, si quis studeat verbis exprimere, non video quī possit melius, quàm (si parua licet cum magnis & feriis contēdere) quomodo Cyclopas facit poëta fabricantes.

*Haud secus, ac lentis Cyclopes fulmina massis
 Cum properant, alij taurinis follibus auras
 Accipiunt, redduntque, alij stridentia tingunt
 Aëra lacu, gemit impositis incudibus Aëna.
 Ipsi inter sese magna vi brachia tollunt
 In numerum, versantque tenaci forcipe ferrunt.*

Sic, hos eandem continenter incudem, tundentes videas, assiduósque, certatim pene, operi, diligentissimè muneri & vigilantissimè incumbentes. Ut certamen inter se suscepisse videantur, non qui quàm diutissimè cessaret, sed qui quàm optimè, concreditam sibi docèdi prouinciam, administraret. nec, qui sessione cæteros anteiret, sed, qui quàm plurima apud Parisiensem Academiam, beneficia collocaret. Verè ut gloriari possit Academia, gloriari, & Academiae parens & fautor, Henricus Rex Christianiss. esse hoc post homines natos, toto orbe terrarum frequentissimum, celeberrimum & ornatissimum, Regiorum doctorum, & professorum collegium. His igitur tot tantisque viris, linguæ, facultatisque, quæ in quoque nostrum est, una cum excellentissimis mathematicis, arbitris & disceptatoribus constitutis, & doctissimorum virorum, ornatissimorumque adolescentium, penè innumerabili circumstante corona, ecquis iam non omnibus, & naturæ ad benè & ornatè dicendum præfidiis, & doctrinæ instructus, si orandi munus susceperit, si ingenij osten-

tandi gratia, si periculi industriæ faciundi,
 ad dicendum surrexerit, non vel impruden-
 tiæ, si apud quos dicit, non cogitat. vel im-
 pudentiæ, si non reueretur. vel insaniæ, si te-
 retibus, & religiosis eorū auribus, sustinet
 obstrepere, condemnabitur? Quo mihi ma-
 ius purgationis onus & excusationis, esse
 impositum videtur. Quanquam spero, cum
 intellectum à vobis fuerit, & quò semper
 spectauerint cogitationes meæ, & quo nūc
 animo huius petitionem professionis ador-
 nē, vos sic esse cōstituturos, iustiore & æ-
 quiore quam nobis, complectendæ Aca-
 demix causam, esse potuisse nemini. Ego
 nanque cū à tenera ætate, paternis accē-
 sus cohortationibus & imperiis, literarum
 studia mihi esse amplexanda duxissem, his
 operam dedi viris lectissimis, his vsus sum
 præceptoribus, omni laudum genere cu-
 mulatissimis. Itaque Lutetiæ, Parisiensi A-
 cademiæ, Regiisque doctoribus, si quid ad-
 huc cōsecutus sum (quod pertenuè quidem
 est, at per summos viros non stetit, quo mi-
 nus esset vberius & cumulatiùs, totum id
 iis, inquam, assigno: Id huic Academiæ af-
 cribo, & acceptum refero. Parisiensem ego
 Academiam, nutricem & altricem meam,
 Regios doctores, alteros esse parentes pro-
 fiteor & agnosco. Cū igitur, me meaque
 omnia, si qua modo sunt, iure suo sibi asse-
 rere, & vindicare queat Academia, cui

hominum generi, cui genti, operam laborésque meos offerre potius debeo, quam ei ipsi, à qua omnia accepi, alteri patriæ Lute-
tiæ atque huic vrbi, debeo? Hoc certe sem-
per studui, hoc summè concupiui, vt cum
multis ab ea, & maximis, auctus beneficiis
fuissem, gratum mihi erga eam memorém-
que animum ostendere ac testari aliquan-
do liceret. Cùmque grande æs alienum ab
Acad. conflassem, id quàm citissimè possem
dissoluerem. Quanquam, tantum id quidē
est, vt dissoluendi spes nulla, nulla facultas
ostēdatur. Huius ego boni, huius honoris,
& cupidissimus sēper fui ac studiosissimus,
& nunc cupiditate ardeo mirabili. Non ad
rei familiaris amplificationē: est enim do-
cendi munus sterilissimum, & eiusmodi, vt
parce cultori victū cultūque suppeditet,
sed ad pietatis, & grati ac memoris animi
commendationem. Quod si vlla vnquam
idonea, si opportuna fuit occasio, quæ ma-
ior & opportunior esse potuit, quàm quæ
singulari immortalis Dei beneficio, oblata
nobis die hodierno est? Cuius ea est hone-
stas, vt honestius: ea necessitas, vt esse magis
necessarium, nihil possit. Agitur nanque pa-
triæ laus, & splēdor, & gloria, aguntur Fran-
ciæ & Paris. Academiæ decora & ornamen-
ta. Nam cū hactenus Paris. Academia, præ-
ter cēteras omnes totius orbis Acadēdias,
doctrinæ laude claruerit, nisi eadē mathe-

maticos non ignobiles gignere, & sibi ipsa
 sufficere ac suppeditare queat: nisi in hoc
 mathematicę eruditionis certamine, Athle-
 tam quem cum aduena committat & com-
 paret, habeat: Quis non videret, necesse fore,
 vt hoc doctrinę & eruditionis principatu
 cedat, gentibúsq; eum, & nationibus alie-
 nigenis concedat, herbámque quod aiunt,
 vltro porrigens, victam se ab iis & supera-
 tam doctrinę ac eruditionis laude, fatea-
 tur? De quo hoc magis laborandum nobis
 est, quod à quibusdã non optimè erga no-
 men Francicum & Acad. animatis, huius-
 modi rumores dissipati & profeminati sunt
 atque ad exterar vsque nationes transmissi,
 Mathematicum tota Francia esse neminẽ,
 eósq; ipsos harum artiũ doctores, & pro-
 fessores Regios (viros, cum omni disciplina
 liberali, tum vel maximè mathematicarum ar-
 tibus perpolitos) earum esse artium rudes
 actyrones. Quę me coniecta in patriã ma-
 ledicta, non dicam grauitè pupugerũt, sed
 acerrima animum & profundissima dolo-
 ris plaga vulnerarunt. Maximè vt vidi, ea
 spē elatum, atque iis sermonibus excitatũ,
 virum quendam optimum Stadium, non
 tanquam ad decurrẽdum stadium, sed tan-
 quam ad arripiendam coronam: nec tan-
 quam ad certamen, sed tanquam ad præ-
 mium: non quasi ad rem dubiam, sed quasi
 ad spem exploratam, repentè huc ad nos

aduolasse. Cùm quidē de bonis omnibus, passim eiusmodi voces audiebantur. Sicci-
ne Franci spernimur ab extero, nullius vt ei
esse pretij videamur? Siccine ab eo contem-
nimur, vt nostrum neminem, secum in cer-
tamen ingenij atque industriæ, esse ventu-
rum ac descensurum arbitretur? Se sine san-
guine, sine puluere & sudore, opima de
nobis spolia esse reportaturum confidat?
Postremò an eum trophæa Parisiis, in ipso
Galliæ vmbilico, & quasi meditullio, de
nobismetipsis, nobis inspectantibus, statue-
re & excitare, Franci patimur? Quid vobis
hîc, amicorum preces memorem? Quid
summorum virorum cohortationes? Quid
totius propè iussa Academiæ & mandata,
quibus me, vt susceptam ornandæ ac tuen-
dæ patriæ prouinciam, strenuè sustinerem,
hortabatur? Hinc tibi, inquebant, Bressi,
pietatis laus veniet. hinc amicis solatium &
oblectamentum. Hinc Franciæ decus & or-
namentum. Hæc illi. Vtinam verò, quos ha-
bet Frâcia infinitos, ac penè innumerabiles
summos viros, & eximios mathematicos, ac
non vt isti dictitant, suisque sermonibus ce-
lebrant & vsurpât, nullos. Candallas, Bel-
lomerios, Brossios, Theuetos, Gosselinos,
Mizaldos, Bordæos, Peletarios, Caluetos,
aliósque, quos enumerare longum fuerit,
vtinam illi, inquam, ad hanc Mathematicæ
eruditionis dimicationē accessissent, Fran-

ciæque defensionem & propugnationem suscepissent. Intellectum profectò esset, quanta, quàm diuina & admirabilia, Francorû sint ingenia. Sed quoniam alia aliis de causa, hoc molestiæ & conflictationis refugientibus, me non esse patriæ defuturum iam ostendi pridem, feram susceptum sublatumque ònus, quàm valentissimè poterò : & obnixè pedibus manibûsque, quod aiunt, omnique & animi contentione & corporis, pro patria decertabo. Cuius non pro exiguis quibusdam commodis, sed pro laude & gloria, hoc est, pro focis arisque, dimico & propugno. Atque id pugno, ne doctrinæ à Francis fama & palma abiudicetur, peregrinòque, cum summo nostrum omnium dedecore atque infamia adiudicetur. Ne sciētia & eruditionis primas nobis eripiant, qui ereptum veniant. Denique ne homo exter & peregrinus, Frācos in castris & propugnaculis suis, confecisse se & confixisse gloriatur.

Ferro, igitur, non auro, vitam cernamus utrique.

Vos ne velit vel nos regnare hera, quidue ferat sors, Virtute experiamur. Utinam verò virtute, ac non opibus & gratia, cōtra solitudinem atque inopiam. Ac mihi quidem memoria vetera repetenti, haud absimile, dissimili tamen cōsilio, fuisse summorum virorum institutum & consuetudō videtur : qui in quinquennali illa ludorum Græciæ cele-

britate, scientiæ palmam & nobilitatem petebant. Sed illi suæ proprię laudis & glorię studio ducebantur: nos verò patrię & Academię. Fuit enim illa quondam, fuit summis viris compendiaria ad gloriam nominisque celebritatem via, vt artis suę in frequentissimis panegyribus, & clarissimorum virorum cœtibus, specimen ederent, & documentum darent. Ex quo repente per hominum ora doctrinę & ingenij ipsorum, fama spargebatur. Nostra est longè alia ratio, qui nihil tanto dignum cœtu edere, & promere possumus, & quibuscum præclare agitur, si modo audientiam consequi vestram possimus, nedum vt nostra, tanquam egregia & magnifica ostentemus, aut veteres in eo sophistas & magnos viros, imitari æmularique studeamus. Herodotus, quidem, cum è patria Caria in Græciam nauigaret, secum tacitus cogitabat, quo pacto, quàm ocysimè, & quàm minimo opere ac labore, notus & celebris euaderet. Circum-euntem igitur & oberrantem Græciã vniuersam, modo Atheniensibus, modo Corinthiis, modo Argiuis, modò Lacedæmoniis, historias suas recitare, longum & operosum arbitrabatur: neque omnino probabat, vt negotium distraheretur, & sensim ingenij famam commendationemque colligeret. Meditabatur itaque quemadmodum frequentes & coactos, si fieri posset, Gręcos offendere.

Herodotus.

offenderet. Cùm ecce, instant Olympia illa magna. Herodotus vero, oblatam sibi eam ipsam, quam tantopere concupiuisset occasionem ratus, plena & conferta panegyri, ac præstantissimis quibûsque iam coactis, progressus est in Opisthodomũ, seque non spectatorem, sed athletam, & concertatorem præbuit. Diuinas illas suas, clarissima & suauissima voce, recitans & cantans historias. Cùm quidem, Regem Lydiæ Cædaulem ab Gyge seruo, ob stultitiam occisum memoraret. Cræsi diuitias & opes, & commissum cum Cyro infœliciter prælium referret. Cyrum verò infantẽ, bubulco ad interficiendum datum, cõseruatum. Cyri prælia, captam opulentissimam & munitissimam Babylonem. Cyrum tandem ab Tomyride Regina victum, cùmque exercitu cæsum. Cyri caput vtri referro sanguine iniectum, vt quando sanguinem viuus sitiuisset, eo mortuus expleretur, & satiaretur. Psammenitum Ægypti regem à Cambyse Cyri filio, in seruitutem redactum, & miserabiliter acceptum. Græcorum, Æthiopum, Persarum, Ægyptiorum, Amazonum, Scytharum, gentiũque penè omnium mores, leges, & instituta. Xerxis innumerabiles, tũ pedestres, tum equestres, tum etiam nauales copias, quibus Hellesponto iuncto, & Athone perfollo, maria ambulauit, terram nauigauit. Græcorum denique ad Maratho-

nem, Salaminem, Plataeas, Thermopylas, non grauiſſimas cum tota Aſia pugnas & praelia, ſed celeberrimas victorias & glorioſiſſimas. Quæ cum ab homine ſuauiſſimè, & cum ſumma actionis venuſtate recitarentur, tanta audientium animi voluptate afficiebantur, vt cum vniuerſa ſtuperet & admiraretur concio, libròſque ipſius, quos nouem ſcripſerat, propriis muſarum nominibus inſigniret. Iamque Herodotum, multo quàm ipſos etiam Olympionicas magis, Græcia tota nouerat, nec erat quiſquam, cui Herodoti foret inauditum nomē: cum eum alij Olympiæ & vidiffent, & audiffent, alij qui ab fuerant, de præſentibus cognoſcerent. Ac ſicubi viſus eſſet, digito mōſtrabatur. Hic ille eſt Herodotus, qui bella noſtra, qui Perſica, Ionica lingua conſcripſit: qui Græciæ victorias magnificentiffimè celebrauit. Hunc ille ſuarum hiftoriarum fructum tulit, publicum Græciæ totius calculum conſecutus. Ac non ab vno certè præcone victor & νικηφόρος proclamatus, ſed in omnibus, vndecúmque panegyriſtarum quiſque extitiſſet, vrbibus & regionibus decantatus. Quam cum deinceps animaduerſum eſſet, breuiſſimam eſſe viam & expeditiſſimam ad comparādā gloriam, tum indigena & popularis Eleorum ſophiſtes Hippias, tum Prodicus Ceus, tum Anaximenes Chius, tum Polus Agrigentinus

Hippias.

51
aliique complures, in quinquatribus & Pa-
nathenæis, ornatas & elaboratas habere
orationes consueuerant, ac ita, magnum re-
pentè nomen consequerantur. Ex quibus
Hippias Eleus Olympiam ingressus, ita in-
genij magnitudinem & diuinitatem sui o-
stentauit, vt cum scire se, quicquid esset in
vlla arte rerum omnium, professus esset, &
digiti annulum, & impositum capiti gale-
rum, & palliū quo amictus, & soccos qui-
bus indutus esset, denique omnia quibus
amiciretur, sua se & propria confecisse ma-
nu gloriaretur. Ecquid ego sophistas & ma-
gnos viros refero, cum leuiorum etiam ho-
mines artium, idem sibi ad gloriā iter mu-
niuerint? Harmonides quidem tibicen, ma-
gistrum Timotheum sic aliquando affatus
dicitur. Cedo Timothee, quo pacto ex arti-
ficio laudem consequar & claritatem? Nam
cætera quidē ex te cognoui omnia. Quem-
admodum admouenda sit labris tibia. Vt
tenuis quædam & concinna anima lingulæ
sit inspiranda. Vt circunducendi cum apta
& eleuatione & depressione digiti. Vt ad
numeros incedendum. Vt consonū & con-
sentaneum efficiam choro canticum, vtque
harmonia cuiusque natium, ac proprium
feruem sonum: Phrygiæ Enthusiasmum,
Lydiæ Bacchicos furores, Doricæ grauita-
tem, Ionicæ suauitatem. Hæc quidem abs
te accepi omnia. At ea, quorū causa in arte

*Harmoni-
des.*

cognoscenda operam posui, quo pacto parem & adipiscar, non video: Populare scilicet gloriā, atque ut in multitudine sim conspicuus, & monstrer digito, oraque in me omnium cōuertam, dicat ūrque, hic est eximius ille tibicen Harmonides. Quemadmodum tibi aliquando vsu venit, cum primum reuersus domum ex Bœotia, in maxima ludorum celebritate cecinisti, & in Aiace furioso tibicinem, qui cognomine fecisset cantinum, canendo superasti. Nemo erat qui nomen ignoraret suum, Timotheus Thebis reuersus. Quinetiam ubicūque visus fueris, ad te omnes vndique, tanquam aues ad noctuam, aduolant. Hęc illa sunt, quorum cupiditate captus & incensus, tibicen esse studui. Nam tibia quidem canere, nisi clarior & illustrior fuero, non magnopere concupierim, ne si Marsyas quidem aut Olympus futurus fuero, ut vitam inglorius transigam & obscurus. Neque enim incognitæ & inauditæ, ut fuerunt, oblectatio & iucunditas est vlla musicæ. Quare, si quam eius rei viam rationemque tenes, tu ne eam mihi per Deos immortales, tuæque summa erga me merita & beneficia, inuide. Cui sic Timotheus respondit. At ô Harmonide teneris studio rei non exiguæ, sed longè maximæ, laudis & gloriæ. Quam si ad ceteras & multitudinem canendo, aues comparare, longum fuerit: ac ne si qui-

dem, vt te omnes nouerint assequere. Quod nanque tantum dari theatrum potest vt Græciam capiat vniuersam? Verum, sic voti compos & optati fies. Tu quidem in theatris interdum cane, verum ne te magnopere sollicitet multitudo. Sed delectis Græciæ præstantissimis, & iis, qui sine controuersia coryphæi in suis rebus publicis & principes habentur, coram his specimen artis ede. Quorum si calculos & suffragia auferes, sic habeto, nomē tuum Græciam iam vniuersam in tam breui peragrassasse. Aduerte verò vt id ego colligam & conficiam. Si enim quos omnes suspiciunt & admirantur, hi te egregium ac eximium esse tibicinem intelligent, quid multitudinem moraris, quæ planè horum stabit iudicio? Plebs enim quæ potiora & præstabiliora sunt nescit, vt quæ ex artificibus & imperitis hominibus coacta sit. Quem autem principes laudauerint, eum non iniuria laudari & commendari existimat: quam obrem & ipsa quoque, illorum secuta iudicium, tollit. Num vides vt gymnics in certaminibus, pars multo maxima spectet, & plausu actores excipiens & sibilo: at quatuor, aut quinque tantum sedent iudices. Verum non misero hæc Harmonidi præstare licuit. Nam cum primùm decertaret, & tibia caneret, dum contentiùs & studiosius inflat tibiam, animam vnà cum spiritu exhalauit,

inque scena mortuus iacuit: tum primum
 & vltimum canens in Dionysiis. Clara erāt
 illa & peruagata tota Græcia certamina. At
 hodierni celebritatem diei, nihilo postha-
 bēdam iis esse duxerim. Vndique ad ea gre-
 ges hominum innumerabiles confluebant:
 at vt tumultuaria illa conuenarum turba,
 huic doctissimorum & lectissimorum vi-
 rorum coronæ anteponenda sit, non con-
 cesserim. Optabilis & expetenda videbatur,
 ea quæ in tanta hominum copia, parta ef-
 fer gloriola: ego verò Mathematicæ pro-
 fessionis lauream, patriæq; gloriam, caducę
 illi & inani gloriolæ millies anteposuerim.
 Elis igitur adest, adsunt Olympia, adest cla-
 rissimorum agonothetarum & panegyri-
 starum frequentia, adsunt athletæ præstan-
 tissimo proposita laudis præmia. Vnum me
 miserum abest, & id quidem quod rei ca-
 put est. Abest Harmonidea cantio. Abest
 Herodoteia vox & eloquentia, Abest Hip-
 piæa rerum & artium & disciplinarum om-
 nium cognitio atque scientia. Quibus qui-
 dem solis rebus, rātorum virorum, tam so-
 lertibus & admirandis ingeniis, tam politis
 & limatis iudiciis, satisfieri posse iure vi-
 deatur. Quod quidem nos esse à vobis con-
 fecuturos, non modo non sperauimus, sed
 ne per somnium quidam vñquam cogita-
 uimus. Ac cætera quidem nobis cum ma-
 gnis illis viris, & Elis & Olympia, & Pane-

gyris, & præmia sunt cōmunia, dispar consilium. Illi popularem captabant & aucupabantur gloriā, nos pro retinendo ac conservando splendore Franciæ dimicamus. Illi magnis quibusdam & diuinis abundantes bonis, diuitiarum & ornamentorū suorum quamplurimos testes colligebant: nos ab ornamentis quidem illis imparati: sed optime tamen affecti & animati, nostrum erga litteras ardorem & complectēdæ huius Academiae studium, qua possumus ratione significamus. Illi quantum eloquentia & summarum rerum & artium cognitione valerent, ostentabant: Nos, quantum Academiae causa velimus, testificamur. Denique, quod illi poterant, nos optamus. Quod illi præstabant, nos enitimur & elaboramus. Ac facultate quidem ab eorum præstantia absumus quàm longissimè, voluntate quidem certè pares, & studiorum similitudine, & virtutis admiratione sumus. Ut vero ullam nos, dando artis documēto, gloriam esse consecuturos speraremus, tam aliena mente fuimus, ut Euangeli potius miserabilē casum metueremus quàm Harmonideam aut Herodoteiam laudem speraremus. Fuit Tarentinus quidam, Euangelus nomine, viri domi suæ cum primis nobilis. Qui cupiditate incensus vincendi Pythia, cum Gymnicorū quidem certaminum victoriam, tum virium imbecillitate, tum

pedū tarditate desperaret, à pestiferis assen-
 tatoribus quos alebat, laudātibus & excla-
 mantib. si quādo cātilene alicuius preludiū
 facere cœpisset, inductus est, vt se cantus &
 citharæ palmā facile reportaturū speraret.
 Longo igitur suscepto itinere, accessit Del-
 phos, tum reliquo omni ornatu splendidis-
 simè instructus, tum vero etiam toga ami-
 ctus inaurata, & laurus aureæ corona redi-
 mitus, vt pro lauri baccis, penderent è ra-
 mulis æquales magnitudine smaragdi. Ci-
 tharam quidem ipsam, opus planè diuinum
 & pulchritudine admirabile, ex auro pu-
 rissimo & putissimo fabricauerat, eamque
 gemmis & sigillis distinxerat. Circum etiam
 musas & Apollinem & Orpheum exquisi-
 to artificio insculpserat. Stupendum planè
 miraculum. Cū igitur dies certaminis ac-
 cessisset, canendi quidem secundæ partes,
 ac secundum Thespin Thebanum, qui non
 ignobiliter nec incōcinnè cecinisset, Euan-
 gelo huic obtigerāt. Scenam igitur ingres-
 sus, totus auro fulgens & collucēs, smarag-
 dis, beryllis, & hyacinthis resplēdens, quin-
 etiam vestem purpura auro subtexta & sub-
 lucens decorabat. Cum hocce omni appa-
 ratu totum stupefecisset theatrum, specta-
 torēsque in spem maximam adduxisset: tan-
 dem cum canendum & fides pulsandæ fue-
 runt, ineptum quiddam & inconcinnum &
 agreste orsus est canere: chordas vero tres
 simul,

simul, dum fides tangit imperitius & stolidius abruptit. Vt risu quidem & dictariis à spectatori-
 bus mordacissimè, flagris verò & virgis ab Agonothetis acerbissimè exciperetur. Cùm quidem omnium irrisione lusus est, lacrymans aureus Euangelus, & per mediam scenam à flagelliferis distractus, & crura sanguine cruentatus. Certè absque vestra esset lenitas & humanitas, auditores humanissimi, haud absimilem verendum nobis esse casum & per-
 timescendum duceremus. Quid enim est, quod faciendæ orationis & poliendæ rudis adolescens, quique nunc fere primum ad has artes profitendas animum applicat, tanto & tam polito dignum cœtu præstare & elaborare queat? Sed & me susceptæ defensionis æquitas, & vestra comitas reficiunt recreantque, & bono esse animo hortantur: quæ quidem ipsa vel maximè in hoc me stadium coniecerunt. Non equidem Herodotiam cogito gloriam: at Euangeli ludibrium & infortunium, multo etiam magis deprecor & auersor. Quid igitur? Det mihi immortalium Deorum numen, det vestrū, quod mihi quidē secundum ipsos sanctissimum semper & augustissimum visum est, pictoris sortem Aëtionis. Qui cum Alexandri magni & Roxanes nuptias egregie ac diuinitus planè pinxisset. Sed satis vobisq; fore gratius arbitror, si ipsam tam eximiam

Aëtion.

& sempiternitate dignam picturam, verbis & oratione breuiter depingam, tum autem perorem, dicendique finem faciā. Regius est & magnificus thalamus sponsalisque thorus cui Roxane infidet, oculos in terram deiciens, & præsentem reuerens Alexandrum. Amores vero & Cupidines circumstant plurimi, è quibus vnus à tergo stans, vitam & flammeum capiti ipsius detrahit, & detectam sponso Roxanem spectandam exhibet. Alius obsequiose admodum, pedibus aufert sandalia, quo quàm citissimè recumbat. Alius apprehenso Alexandri paludamento amor, ipsum ad Roxanem summa vi, totisque corporis viribus pertrahit. Rex vero sponsæ coronam porrigit. Astat conciliator Hephæstion facem accensam ferens, & formoso adolescenti, Hymenæo, vt opinor, innitens. Alij interea circum Alexandri arma colludunt amores, è quibus duo ipsius hastam, instar baiulorum sub iniquo trabis onere gemētium & suspirantium, gestant. Alij duo, quendam clypeo insidētem ex Loris trahūt. Vnus etiā thoracem subiens & præterituris insidians, ad eos cum ad se accesserint territandos se comparat. Neq; vero inanis ille fuit lusus, sed hoc significatum voluit Aëtion: sic Alexandrum Roxanes amore captum fuisse, vt bellicæ interea laudis curas & cogitationes non deponeret. Quæ exquisitissimo pi-

et artificio tabula, Olympiam allata, sic
 omnium cepit animos, ut vir nobilis & pri-
 marius hellanodices, hominis arte delecta-
 tus, generum sibi Actionem deligeret. Ita
 nuptialis Regum pictura, veras Aëtioni
 nobilissimæ virginis nuptias conciliauit.
 Ego verò non diuitis mihi puellæ nuptias
 deponco, non dotem ambio, sed stabili cum
 Academia matrimonio coniungi & copu-
 lari studeo. Faxit Deus, ut vestræ sic suavi-
 rati gratus & acceptus accidam, viri huma-
 niss. ut huius mihi auctores & conciliatores
 sitis coniugij & matrimonij. Quanquam
 nostra quidem, sat scio, tantis digna virtu-
 tis insignibus & ornamentis, aut etiam au-
 ditione & attentione vestra, non videbun-
 tur: sed quod aberit nobis, hoc vestra ut spe-
 ro, supplebit humanitas, atque hæc ipsa à
 flagrantissimo profecta studio, æqui boni
 faciet. Planè neq. Hæcales Theseus tenues
 & frugales epulas aspernatus est, sed norat
 in tempore præsentibus acquiescere. Nec
 Panem Deum illum pastoritium, pueri bu-
 bulci fistulam labris admouisse & triuisse
 pœnituit. Quod si vsipiam hærebimus, ô cœ-
 lestia numina, ad vos enim mea se conuer-
 tit, in vobis mea terminabitur oratio, si vsi-
 piam tantis rerum difficultatibus, tantique
 muneris insolentia superati laborabimus.
 Si dum terras, dum maria cogitamus, dum
 vasto humeros cœlo & syderibus subiici-

Epilogus.

mus, gementes nos & sudantes & anhelantes tanta sub mole sentietis, repentè nobis tâquam è machina salutarem manum porrigite, adeste, fauete, opem implorâtibus, & auxiliû ferre. Sic olim Sagittario Deos inuocanti & appellanti, Deus affuit, telumque direxit. Sic Citharædo carmen Orthium canenti, rupto casu quodam neruo, Apollo ipse cicadæ specie astitit sonuitque.